

IV. Tempestive, et primo, non præpropere. Ait enim Eccles. c. XIX. *Qui cito credit, levis est corde.* Cito autem credit, qui nescit aut cur credat, ut qui ex animi levitate, et ex motivo impertinente et temporali tantum credit: ut sunt qui fidem catholicam idcirco solum suscipiunt, quia cum catholicis pro tempore habitant, vel quia in loco catholico matrimonium inierunt, nulla prius habita fidei ratione, vel præmissa instructione. Hi enim quam facile admittunt quod dicitur, tam facile dimittunt ubi gravior aliqua difficultas oritur, sive argumentum pro contraria parte suggeritur. Contra quos scribit apostolus ad Eph. IV. *Jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ.* Ut enim novellæ plantæ, nondum sat fundatæ, levi vento eruantur, et accelerata ædificia cito iterum corruunt, et vulnus præpropere curatum cito recrudescit; ita illorum fides, tam facile parta, facile dilabitur. Hinc prohibet Ecclesia quemquam infidelem ablui baptismo, priusquam edoctus sit diligenter fidei rudimenta. Similiter et hæretici priusquam recipiantur, bene discutiendi et in fide instruendi sunt.

Secundo, non cunctanter nimis. Tarde autem credit, qui postquam instructus est res fidei evidenter esse credibiles, cunctatur tamen credere: sufficienter autem instructus est, qui vel miracula ipsa vidit, vel a testibus irrefragabilibus confirmata esse discit, vel ab Ecclesia catholica audit esse revelata a Deo, quod proponitur, vel contineri in verbo Dei. Nolle enim acquiescere Ecclesiæ tot miraculis firmatæ, tot sæculis conservatæ, per orbem dilatatæ, sanctitate etiam conspicuæ, etc. manifestæ pervicaciæ est. *Quidquid per orbem frequentat Ecclesia,* ait S. Aug. ep. CXVIII. ad Januarium, c. V. *de eo disputare, an ita sentiendum sit, insolentissimæ est insanitæ.* Hanc ergo veritatem magistræ cum audire te contingit, vide ne tardus sis ad credendum; nisi velis audire cum similibus illud Salvatoris: *O stulti et tardi corde ad credendum,* Luc. XXIV. Quod si nova miracula requiras, perinde agis cum Deo, atque si alicui mutuum dare nolis, nisi pignus ab eo capias. Arguit hoc Christus velut magnam diffidentiam: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis,* Joan. IV.

V. Explicite et in specie primo præcipui fidei articuli, ut qui in symbolo continentur. Nam si in genere tantum credamus vera esse, quæ Deus pronuntiavit, nihil differemus a paganis, nec sufficienter coleamus Deum ejusmodi fide generali, in qua nulla est difficultas. Neque sufficit post Christum credere tantum in unum aliquem mediatorem, sicut sufficiebat ante Christum. Credendum modo in hunc mediatorem, Jesum scilicet. Deinde etiam mysterium SS. Trinitatis

et incarnationis Christi et quæ ad munus redemptionis pertinent, uti Christi divinitas et humanitas, passio, mors, resurrectio explicite credenda sunt, necessitate mediæ, non præcepti tantum; alii symboli articuli necessitate præcepti tantum. Ita enim docent doctores cum S. Thoma, II. II. q. II. art. VI. Necessitas autem mediæ tanta est, ut si quis etiam sine culpa sua medio illo destituatur, a salute excidat.

Secundo, in certis casibus omnia fidei dogmata, v. g. cum quis circa aliquod tentatur, vel cum accedens ad Ecclesiam audit ea sibi proponi a fidei catechista; vel cum tenetur actu externo fidem profiteri; tunc enim mente etiam profiteri eam debet, ne mens ori aut facto contradicat.

VI. Vere et complete ita nimirum, ut fide tamquam fundamento superædificentur opera bona, velut parietes et tectum. *Ille enim vere credit, qui exercet operando, quod credit,* ait S. Greg. in hom. super hodiernum evangelium. Hocque ad ædificium domus spiritualis, quod quisvis Christianus in seipso extruere debet. Cæterum si posito fundamento nihil superædificat, omnes aliquando incipient ei illudere dicentes: *Hic homo cepit ædificare et non potuit consummare,* Luc. XIV. Et quantum apud inferos ille pudebit? Parum decoris est homini cæpisse ædificare et non consummasse, si non potuit consummare, quia videlicet sumptibus destituitur. Majus longe dedecus erit, cum dicatur de Christiano: *Hic homo cæperit ædificare, et non voluit consummare.* Virtutis laus omnis in actione consistit, et fidei laus in operibus, sine quibus teste S. Jacobo mortua est. Fides fundamentum homini est, quale est aqua natanti, quæ nonnihil sublevat eum, sola tamen sustinere nequit: ipse etiam brachia et crura movere ac natare debet, alioquin submergetur; ita qui sola fide nixus virtutum actiones reliquerit, in barathrum inferni mergetur. Neque solum Christiano turpe et periculosum est non vivere christiane, verum etiam ipsi Christo Domino injuriosum: gravem utique contumeliam Christo inferebant improbi illi milites, qui Christum ore regem vocabant et velut regem genu flexo vocabant et velut regem genu flexo adorabant, interim manu eum percutiebant, arundinem quoque cavam ei offerebant, et caput spinis vulnerabant. Et quid aliud agit Christianus, qui ore quidem Christum profitetur et adorat, interim fidem illi inanem exhibet et operibus eum percutit: ore compellat Dominum suum, opere autem negat? Quod sane, est uno genu flexo, altero non flexo adorare Christum, uti fecerunt milites. Quibus ait Dominus, Luc. VI. *Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Quare, auditores, ne in

caput nostrum contumeliæ istæ recidant, et omnes qui vident nos, incipiant illudere nobis, consummemus id, quod cæpimus opus perfectionis christianæ, non innitatur soli fidei: præstemus opere quod fatemur ore, adeoque utroque genu flexo adoremus Dominum et Salvatorem nostrum.

CONCIO V.

MEDIA AD CONSERVANDAM FIDEM.

I. Vitanda nimia curiositas. — II. Vitanda consuetudo graviter peccandi. — III. Fugienda maxime superbia et libido. — IV. Fugienda hæreticorum consortia: 1. Connubia. 2. Nimia familiaritates. 3. Libri eorum. 4. Conciones eorundem. 5. Disputationes. — V. Vacandum bonis operibus.

THEMA.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. XX.

Videmus, auditores, in hodierno evangelio, quanti referet fidem semel apprehensam retinere ac conservare. Quod enim puero pædagogus, quod cæco ductor, quod lucerna nocti, quod oviçulæ pastor est, hoc est fides homini. Quid agendum fuisset Hebræis in deserto peregrinantibus, si Deus columnæ ductum eis abstulisset? Nonne in deserto undique oberrassent, et in hostium manus incidissent? Sane cum se id facturum eis minaretur Exodi XXXIII. *Audiens populus sermonem hunc pessimum, luxit,* inquit Scriptura, *et nullus ex more indutus est cultu suo.* Quid consilii cepissent magi, si stella viæ dux, quam perdidit Jerosolymis, non rursus apparuisset revertentibus ex urbe? Qua ratione Christum natum invenire potuissent; quomodo non maximo opere contristari ac demum sine fructu domum reverti debuissent? Quid cum Thoma actum esset, si in sua incredulitate sibi relictus, perditæque ovis a pastore Christo requisita non fuisset? Nonne in suis tenebris perpetuo obambulasset et a via cæli deviasset? Quare nunc videndum qua ratione lumen fidei in nobis conservandum sit.

I. Vitanda nimia curiositas et præsumptio in perscrutandis rebus fidei. Ait enim Sapiens, Proverb. XXV. *Scrutator majestatis oppræturetur a gloria.* Quomodo scilicet imbecillior visus, veluti infantum opprimitur a nimio solis lumine, læditur et vitatur: vel quo modo Plinius rerum naturalium curiosissimus indagator dum incendium montis Vesuvii in Campania coram indagare venit, erumpente interim flamma et igneum quasi fluvium cinerum evomente, ab eodem oppressus et suffocatus est, uti scribit Plinius junior, in ep. ad Corn. Tacitum. Dicere solemus, peritissimos natatores, præstantissimos

pugiles, et qui in scandendis arboribus plurimum valent, maxime periclitari de exitio et ruina; quia suis viribus nimium præfidentes, in pericula se conjiciunt. Atque tales revera sunt, qui arcana fidei mysteria curiosius rimantur. Natate enim contendunt per immensum pelagus, conscendere audent arborem, quæ in cælum se protendit, committunt sese prælio pugnantium inter se doctorum, in quo non pauci eruditi, dum vincere voluerunt, turpiter victi sunt. Boni ergo Christiani est *in captivitate redigere intellectum in obsequium fidei,* ut ait apost. II. Cor. X. *veracissimus est Deus et mentiri nequit; optimus est et neminem decipit; omnipotens est et plurima facit captum nostrum excedentia, quia major corde nostro,* 1. Joan. III. Pythagoreis satis erat magistri sui auctoritas, quam allegabant eo verbo: *Ipse dixit:* cur non sufficiat Christiano Dei verbum?

II. Vitanda consuetudo graviter peccandi. Tametsi enim peccatum mortale formaliter fidem non eliminat, frequenter tamen iteratum ita eam debilitat, ut tandem omnino destruat, dispositive scilicet. Hinc enim de quibusdam hæreticis ait apostolus 1. Tim. 1. *quod bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragaverunt,* q. d. fidei naufragium fecerunt, quia anchoram bonæ conscientiæ, quæ navim fidei roborat et in tribulatione conservat, dimiserunt. Quemadmodum ergo navis anchora destituta alliditur ad scopulos subinde et tandem crebra allisione frangitur: (uti patet Act. XXVII. ubi sublati anchoris, impetit navis in scopulos et dissoluta est) ita fides ubi exuta est bona conscientia, mox alliditur ad vitiorum scopulos, luxuriam, ebrietatem, ambitionem, avaritiam, inde omnino perditur. Cujus ratio est primo, naturalis antipathia et contrarietas, quæ est inter fidem et vitam malam; hanc enim fides semper carpit et reprehendit. Quare sicut Herodias necem attulit Joanni, quod ab ipso argueretur de incestu: ita isti eliminant fidem, a qua se reprehendi et redargui advertunt. Secundo, pondus ipsum peccati, quod paulatim hominem trahit ad graviora peccata et profundius semper mergit: nemo enim repente fit pessimus, nec ab uno extremo ad alterum fit progressus, nisi pertransitis mediis. Hæresis autem pessimum et quasi extremum malum est, quod radicem omnium virtutum excindit. Ergo de fossa in fossam, de peccato in peccatum prius salendum, antequam ad imum hæresis barathrum pervenias. Tertio, punitio divina. Deus enim tales destituit suo lumine et tandem in reprobum sensum tradit, uti docet apostolus ad Rom. 1. Quarto, perversitas et corruptio naturæ ex peccandi consuetudine orta, qua fit ut facile ac libenter credatur id

quod arridet et delectat. Non est difficile voluptuariis et carnalibus hominibus persuadere, sacerdotes uxoratos esse debere, castitatem impossibilem esse, jejunia esse superflua, ciborum delectum esse superstitiosum. Non est apud avaros difficile usuras excusare, apud ambitiosos simoniam, apud luxuriosos fornicationem. Unde nec mirum si Mahometo primum, deinde Luthero, nostro tempore tam multi adhæserunt, quia illorum sectæ carni fræna laxarunt et timorem Dei sustulerunt. Porro si frequentia et gravia peccata non semper ad infidelitatem ducunt, enervant tamen et mortificant, omnique merito evacuunt fidem, quæ quidem peccatori inesse potest, prodesse tamen non potest.

III. Fugienda inter alia vitia, maxime superbia et libido, velut duo primariæ fidei voragines, quæ plerosque apostatas a fide abriperunt et in perfidiam demerserunt. Superbia inter alios Simonem magum, primum hæresiarcham qui Spiritum sanctum emere voluit, ut eum, quibus vellet, largire, et coli velut donator Spiritus sancti posset. Deinde Tertullianum, Arium, Lutherum, Ochinum, et alios quam plurimos, qui cum apud nostros speratas assequi dignitates non possent, primatum et nominis sui celebritatem quæsierunt inter hæreticos. At vero superbi præ aliis peccatoribus nauseam Deo pariunt, ut testatur Amos, c. VI. dicens: *Juravit Dominus in anima sua, dicit Dominus exercituum: Detestor ego superbiam Jacob.* Quo loco vox Hebræa significat nauseam et fastidium habere. Quoniam ergo superbi nauseam Deo creant, quid mirum si illos evomat ex ore et Ecclesia sua? Libido rapuit Nicolaum diaconum, Marcionem, Montanum, et nostro sæculo Lutherum, et alios sacerdotes ac votifragos monachos, qui in Ecclesia votum continentiae Deo nuncuparunt, postea turpiter violarunt, atque ut in libidinis suæ cæno secure volutari possent, ab Ecclesia defecerunt. *Male viventes*, inquit S. Chrysostomus, in 1. ad Tim. 1. *ne futurorum metu et expectatione crucientur, persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia, quæ nostra religio continet; nempe de peccatis, resurrectione, judicio futuro, et similibus.* Quod certe præstiterunt nostri hæresiarchæ, qui præceptorum obligationem, ss. canones et censuras, vota, purgatorium, et ex parte infernum sustulerunt, quia inde se redargui, inde sibi exitium imminere senserunt. Et qua ratione dicet aliquis, fieri potuit, ut viri etiam doctissimi adeo obliviscerentur Dei, cæli, judicii, inferni, legis naturæ et mandatorum divinorum? Ratio in promptu est, quia a suis concupiscentiis, quas sectabantur, excæcati et perturbati quasi in nebula ambularunt, ideoque non viderunt, quæ sana et recta sunt. Refert Plinius,

I. VII. cap. XXIV. et Solinus, c. VII. Messalam Corvinum oratorem clarum ac nobilem ex diuturno et vehementi morbo in tantam rerum, quas noverat, omnium venisse oblivionem, ut etiam proprii sui nominis non recordaretur. Hujusmodi autem morbus, si quis ullus, est libido, quæ toto impetu rapit hominem et quodammodo dementat, ut Dei, cæli, inferni, sui que ipsius obliviscatur. Hinc Ecclesiasticus, c. XIX. *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.*

IV. Fugienda hæreticorum consortia et familiaritates nimie, nec imitandi eorum ritus et mores. Scimus enim Petrum, dum ad focum se calefacturus junxit infidelibus Christum abnegasse. Eodem in periculo versantur, qui moribus hæreticorum se accommodant. Quemadmodum enim Cælius ille, qui apud Martialem, l. VII. epigr. XXXIII. mentiebatur podagram, reipsa tandem hoc morbo correptus est, et fingere desiit: ita justo Dei judicio sæpe contingit, ut qui hæreticis se accommodant, sensim eis assuescant et reipsa adhæreant.

Cæterum præcipue fugienda et vitanda sunt. Primo, connubia hæreticorum cum catholicis, ut præcipitur in c. Non oportet, c. XXVIII. q. 1. nisi profiteantur catholicos se futuros. Et sane ejusmodi connubia nihil boni parere possunt, tum quia discordiarum causa sunt, quod in fabulis docuit hirundo turdum volentem contrahere cum illa; siquidem illa calidis, hic vero frigidis delectatur locis; illa ad æstatem venit, ad hiemem recedit, hic contra ad hiemem venit, ad æstatem abit. Tum quia longe proclivior est ad hæresim via quam ad fidem catholicam, unde multo facilius pervertitur a conjuge catholicus, quam convertatur hæreticus. Patuit id in connubiis Israelitarum, quæ contraxerant cum Azoticis, gentilibus feminis, quorum liberi nesciebant loqui Judaice, loquebantur potius Azotice, quod discebant a matribus, Neh. ult. patuit in Salomone, qui tot libris suis tantaque sapientia sua nec unam convertit uxorem suam ab idololatria, s. d. contra ab eis perversus est.

Secundo, nimie cum eis familiaritates. *Nulla cum talibus colloquia misceantur*, inquit Cypr. l. 1. ep. III. *Simus ab eis tam separati, quam sunt de Ecclesia profugi.* Hoc idem S. Ant. præcipit: *Zelum meum contra omnes hæreticos et veritatis hostes tenete, scitis quia nunquam illis molliter aut pacifice locutus sum, etc.* Idem dicebat: *Talium amicitia et sermones, non nisi mera sunt animæ perniciis*, Ath. in vita ejus. Et sane qui amicitias et fraternitates cum illis contrahunt, parum se catholicos et fidei suæ zelatores ostendunt. *Quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam turbidam?* inquit Jer. c. II. ad Isr. qui quandoque Egyptiis se jungebant. Aqua turbida est doctrina infecta,

obscura et hæretica. Et quamquam non nescio, necessarium sæpe esse, cum hæreticis et intra eos conversari, idque sine culpa fieri posse: hoc tamen est quod dico, familiaritates nimias et amicitias ac fraternitates cum iis non contrahendas. Dico negotia et colloquia, quæ cum illis habenda sunt, brevissime expedientia esse, non secus ac canes de Nilo bibunt, obiter videlicet et per transitum, ne subito erumpentes e Nilo crocodili eos corripiant ac devorent. Quod ipsum semper timendum intur hæreticos.

Tertio non legendi sed abjiciendi eorum libri. Non frustra Exod. XXII. præcepit Deus: *Carnem quæ a bestiis fuerit prægnata, non comedetis*, vult enim doctrinam animalem, quæ hæreticorum dentibus fuerit laniata, uti Lutheri biblia, ne gustemus, ut exponit Rabanus, seu ut libros hæreticos ne legamus. Quid enim eorum libri nisi a bestiis gustata et lacerata caro? Quid nisi venenata aspidum ova, quæ si fregeris, erumpet in te venenatus foetus, teque inficiet? Unde Isa LIX dicitur: *Ova aspidum ruperunt, qui comederit de oviseorum morietur, et quod confotum est, erumpet in regulum.* Quid sunt ova aspidum, nisi pestilentes hæreticorum libri, quos ipsi et posuerunt et excluderunt; hos qui aperit et legit, facile inficitur et putorem sentiet. Ova aspidum, ut notat Vegas, in Apoc. cap. VI, foris quidem pulchra sunt, intus autem venenata et pestilentia. Et tales hæreticorum libri blandi, elegantes, scripturis exornati, interim hæresi pleni sunt. Quod expertus est Lutetiae atheus quidam, anno 1572. combustus, qui a iudice interrogatus unde tantam hausisset impietatem: » E Calvinii libris, inquit apud quem eum Deum legere causam esse flagitiorum omnium, atque ad ea perpetranda impellere homines, satius esse dixi nullum omnino Deum ponere, quam talem agnoscere. » Refert P. Chav. de prudentia. I. III. cap. X. Nec excusaris si dicas, te inde bona tantum selecturum velut apem, venena præteriturum, Hoc enim magno illi Theophilo legenti quosdam damnatos Origenis tractatus, vitio datum est et in eo reprehensus est, teste Cassiod. in vita Theophili Optime hac de re Florimundus Remund. I. IV. de Orig. et progressu hæres. cap. II. scribit: « Neque illi excusandi mihi videntur qui ista se legere vel audire aiunt, ut fidem inde suam tanto magis confirmet. Numquid enim non ridiculus sed stultus ille fuit, qui primus in se aconiti vim cum certissima sua morte (postquam omnis ista cognitio inutilis est) experiri voluit? S. Hieron. reprehendit eos qui jejuniis operam daturi, sumptuosius, tamen et splendide epulis interesse gaudent; ut et monachos qui perruptis monasterii claustris in principum aulis et mediis sæcularium hominum in turbis obser-

vantur, ubi vix tuta esse potest pudicitia, cum præcipuus religiosæ vitæ scopus esse debeat, domare concupiscentias et carnis stimulos retundere, ut continentia tanto magis reddatur meritoria. Noverat enim vir sanctus, quam periculosum sit, velut collato pede cum iis hostibus pugnare, qui vix ulla ratione quam fugiendo vinci possunt. Longe facilius et tutius est intra murum contra arietis ictum sese defendere, hostemque superiore loco propulsare, quam mediis in campis, ubi assiliri undique possis, aciem cum hoste configere. Quam cito enim vel levi brachio tortum telum in caput nostrum incidere, vitamque nobis auferre queat, serpens ille sub pulchris illis, ut videntur, hæreticorum scriptorum floribus latens, ubi oculos nostros ad legendum pellexerit, virus suum animis statim tacite afflat, sensus nostros pervertit, et iudicium corrumpit in iis, qui nullo muniti prophylactico medicamento, rem tam pestiferam tractare non verentur. Et quemadmodum nautæ littus legentes, etiamsi nihil minus cogitent quam in altum enavigare, nisi tamen navim in portu anchora firment, maris tempestate et fluctuum visæ abripiuntur: sic curiosi isti qui hæreticorum libros legendos suscipiunt, nisi firmissimam fidei anchoram in Romanæ portu Ecclesiæ jecerint, levitatis suæ ventis in errorum vel etiam impietatis et atheismi abyssum, cum sempiterno animæ exitio plerumque propelluntur. » Nec vero tutum etiam est domi retinere, licet eosdem non legas: quia etiam ova aspidum in domo non tolerares, licet non attingeres: lapis enim offensionis sunt, et Deo infesti. Refert Eviratus, in prato spirit. c. LXVI. B. Virginem cum SS. Joanne Baptista et evangelista aliquando apparuisse Cyriaco abbati circa annum 429. sed cellam ejus ingredi noluisse, quod in ea duo Nestorii libri, licet ipso nescio, forent.

Quarto, vitandæ illorum conciones. Domino teste, oves sequuntur et audiunt tantum pastorem suum legitimum, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, Joan. X. non tantum non sequuntur, vel curiose intuentur, sed fugiunt ab eo, vocem ejus et aspectum horrent. Alieni vero sunt prædicantes hæreticorum, quia sine legitima missione et successione per foramen ingressi sunt. Igitur qui vera Christi ovis est, fugiat lupum. S. Antonius Arianorum conciones serpenti bus deteriores dicebat, apud Athan. in vita. Sed quid si ab aliquibus non tantum audiantur libenter alieni, sed etiam sæpe audentur et probentur? Hinc certe nata hæreses et serpunt in hodiernum. *Prophetæ facti sunt greges mei in rapinam et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri*, ait Deus per Ezech. c. XXXIV. sed vix tam prædicantibus istis, quam

audientibus. *Stupor et mirabilia facta sunt in terra,* ait Jeremias, c. V. *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo ejus?*

Quinto, vitandæ illorum disputationes præsertim indoctis. Pelicanus cum in alto habitare posset, terram eligit, ovaque terra condit, quod advenientes aucupes loco illi ignem circumponunt, quem pelicanus extinguere conatur, et interim alas adurit, ignemque magis excitat, et pennis adustis capitur, refert Pierius, lib. XX. Ita si tu cum hæreticis versari velis, ignem illi disputationis accendent, quem tu dum extinguere voles, ureris. Sanctus ille Joseph noluit cum domina litigare et pallium vi eripere, ne ejus contactu vitaretur, sed maluit id relinquere et fugere, Gen. XXXIX. Sic et tu noli litigare cum hæreticis. Audi S. August. tract. 1. in Joan. « Quispiam, inquit, tædium patiebatur a muscis, invenit illum Manichæus tædio affectum, et cum diceret, se non posse pati muscas, et odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat et oderat illas non est ausus dicere: Deus illas fecit, erat enim catholicus. Ille statim subiecit, si Deus non fecit illas, quis eas fecit? Plane ait ille: Ego credo quod diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; apem quis fecit, quæ paulo major est musca? Non ausus est ille dicere, quia Deus fecit apem, et muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, a locusta ad lacertam, a lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem, et persuasit homini, quia non a Deo factus est homo. Ita ille miser cum tædium passus est a muscis, musca factus est, quem diabolus possederat. » Hactenus Augustinus.

V. Bonis operibus vacandum. Hæc enim sunt oleum illud virginum prudentum quo conservarunt lampades suas ne extinguerentur, quoque destitutæ fatuæ dicebant: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Quisquis ergo lucernam fidei conservatam in se vult, oleum illud affundat, necesse est.

Imprimis vero expedit crebros actus fidei exercere, ita videlicet, ut quæ agimus bona non tantum ex motivo propriæ virtutis, sed etiam quia fides id præscribit, agamus; deinde ut fidem in baptismo nobis infusam a patribus traditam, crebra professione contestatam sæpe recolamus, et firmissime statuamus ei adherere usque ad extremum spiritum. Ut enim aqua crebra motione purior et sanior fit, immota vero putrescit: ut gladius et vomis exercitio poliuntur et acun-

tur, otio destruantur, et rubiginem contrahunt: ut artes usu perficiuntur, inertia perduntur: ita fides et virtutes aliæ conservantur assidua earundem exercitatione, amittuntur intermissione. Propterea apostolus hortatur Timotheum discipulum suum: *Exerce te ipsum ad pietatem,* 1. Tim. IV. q. d. ad Dei cultum et vitam homine christiano dignam, in rebus divinis legendis, audiendis, meditandis, ut earum amorem et affectum in te excites. Virtus enim et ars magis exercitio assiduo quam multa speculatione addiscitur et perficitur. Hinc Apelles in more habuit, ut nullam diem prætermiserit, quin lineam aliquam duceret, et pingeret aliquantulum; inde pictorum omnium præstantissimus evasit, Plin. l. XXXV. c. X.

CONCIO VI.

FRUCTUS EXERCITII DE OMNI PRÆSENTIA DEI.

I. Collectio mentis in oratione. — II. Puritas mentis. — III. Ardor ad pugnam spiritualem. — IV. Cordis stabilitas. — V. Lætitia et consolatio spiritualis.

THEMA.

Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio.
Joan. XX.

Veram et genuinam causam cur in medio discipulorum staret voluerit Christus redivivus, non dubito esse illam, ut ab omnibus nimirum discipulis videri et agnosci posset. Quemadmodum enim sol in medio cælorum constitutus est, ut omnia illuminet, tam ea quæ supra se, quam ea quæ infra se habet, adeoque ut omnium ad se convertat oculos (unde Græce a conversione appellatur) ita in hodierno evangelio Christus medium occupavit locum, ut discipulorum omnium oculos ad se converteret. Videtur tamen et hoc docere nos voluisse Dominus hominis Deum timentis esse, habere semper in conspectu suo Deum sibi præsentem, quandoquidem revera omnibus rebus et locis præsentissimus est, imo in medio uniuscujusque, juxta id Deut. VI. *Dominus Deus tuus in medio tui.* Omnium ergo nostrum oculos ad se trahere deberet hæc omnipræsentia Dei, quod ut impetrare a vobis possum, auditores, fructus hujus exercitii videamus.

I. Collectio mentis in oratione. Abbas Joannes in collat. patrum. coll. IX. cap. VII. ait: *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.* Nimirum quale frumentum ad molendinum fertur, talis reportatur farina: si hordeum infundas molæ, non recipies farinam nisi hordeaceam. Ita tu sitoto die incumbis lucro, litibus, confabulationibus, locis, symposiis, aliisve sæculi negotiis, quid

aliud tibi occurreret in oratione, quando lapis lapidem terit, id est, cum voluntas et intellectus exerceantur, quam quod prius actitabas sæcularia nugamenta? His onustus rex Manasses ait: II. Paral. cap. XXXVI. *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, et non possum tollere caput et non est respiratio mihi,* q. d. multitudo curarum sæcularium ita caput incurvat meum, ut non possim tollere illud per orationem ad Deum. Talibus onerabantur etiam Israelitæ a Pharaone, Exod. V. operibus scilicet luti et laterum conficiendorum, ut sic et sordidi et delassati sacrificare Deo suo nossent. Novit hoc etiam diabolus, ideo sæculi studiosos talibus occupat opprimique paleis et vanitatibus, ne meliorem in molendino orationis inveniant farinam. Ideo prædictus abbas subjungit: « Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Verborum vel sensuum ante oculos imago præludens, aut irasci nos secundum præcedentem qualitatem faciet, aut tristari, aut concupiscentias causasve præteritas retractare, aut risu fatuo, quod etiam pudet dicere, cujusdam seurrilis dicti vel facti titillatione pulsari, aut ad priores faciet volitare discursus. Et ideo quidquid orantibus nobis nolumus ut irreat, ante orationem de abditi nostri pectoris extrudere festinemus. » Hæc ille. S. Basil. in reg. bre. int. CVI. rogatus quemadmodum semper collecta esse mens posset in suis cogitationibus, respondit: *Si Davidem imitemur, qui ait: Providebam Dominum in conspectu meo semper,* Psal. XV. Et iterum: *Oculi mei semper ad Dominum,* Ps. XXIV. Sane David templum intraturus orabat: *Dirige in conspectu tuo viam meam,* Psal. V. et sine dubio etiam orans Deum semper in conspectu suo habuit, cujus oculi semper ad Dominum etiam ante orationem fuerunt: unde etiam facile intelligimus, collectissimum semper fuisse. Quis enim aspiciens coram se regem, non sedulo ad eum attendat? De S. Romualdo scribit Petrus Damianus, apud Surium, tom. III. Rainerium Tusciæ marchionem, vanitatibus mundi alioquin et potentia tumentem, solitum dicere, sibi non imperatorem posset tantum metum incutere, non ullum mortalium, quantum se Romualdi terreret aspectus: ante ejus quippe vultum neque quid diceret, scire, neque quibus se defenderet excusationes invenire. Habebat revera vir sanctus hanc ex divino munere gratiam, ut quicumque peccatores, præsertim potentes sæculi, in ejus præsentiam venissent, mox ut ante majestatem Dei territi formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori ejus insidebat, hunc terrorem injustis intentabat. Quid si viri unius sancti aspectus terrere aliquos po-

tuit, quis non metuat, sibi que et actioni suæ intendat, cum in conspectu Deistat, et cum ipso loquitur?

II. Puritas mentis. Quando princeps est in suo palatio, non admittunt in palatium quemvis janitores, sed excludunt sordidos, abjectos, vagos: et si quos tales intus invenerint, ejiunt. Ubi vero princeps abesse cognoscitur, passim omnes ingrediuntur, rustici, opifices, et alii. Simili ratione ubi Deus exulat ab hominum memoria, ibi janitor nullus; unde vitia conglomeratim in animos irruunt, juxta id Psal. IX. *Non est Deus in conspectu ejus, inquinata sunt visceribus eius in omni tempore.* Cujus exemplum præbet Cain, qui quia egressus est a facie Domini, ut dicitur Gen. IV. id est, a loco in quo Deus loqui, et apparere solebat, Deum oblitus est, et a mente sua exclusit: et habitavit ad orientalem plagam Eden, id est, deliciarum (sic enim exponitur Eden) ideo, ut scribit Josephus, l. 1. antiq. cap. XI. « Tantum adfuit, ut hac castigatione in melius vitam mutaverit, ut pejor etiam sit factus, suis voluptatibus, vel eum aliorum injuria indulgens, et facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undecumque latrociniorum et nequitiae sociis, magister illis ad facinorosam vitam sit effectus. Ad hæc simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis mensuris, et ponderibus immutavit pristinaque sinceritatem, et generositatem ignarum talium artium in novam quamdam versutiam depravit. » Hæc Josephus. E contra vero ubi Deus est in palatio, et memoria alicujus, inde eum primis expelli videbis rabulas et ganeones, exturbari vitia: prorsus sicut sole oriente bestie silvestres noctem pervagatæ, et grassatæ aufugiunt abdundanturque in suis foveis et cubilibus, prout Ps. CIII. dicitur: ita Deo animam præsentia sua colustrantæ, vitia dilabuntur quæ prius eam vastabant.

Deinde, videbis nihil admitti flagitiosum. Unde Sapiens, Prov. III. ait: *In omnibus viis tuis cogita Dominum, et ipse diriget gressus tuos,* ne scilicet offendas in peccato. Hinc Thales aiebat, homines existimare oportere, deos animas cernere deorumque omnia esse plena, et tunc fore omnes castiores, Cic. l. II. de legibus. Exemplo est famosa illa Thais, quæ Paphnutio abbati scelus suadens cum se nisi a Deo videri non posse, dixisset: *Agedum, ait abbas, si Deus te videt, qua fronte tu in conspectu ejus te purissimis oculis intuentis, audebis peccare?* Quare illico mens metreticis celesti radio collustrata, tando pudore suffusa, et penitentiae stimulo tacta est, ut abjurata turpitudine infame lucrum in medio Alexandriæ flammis exusserit, seque angustissima cella concluderit, vitamque aspera peniten-